Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 653
Quelle:
Copyright:

ſum eſt. L. II. initio abeſt *Conſtantine Imperator*, et legitur *coniunctis manibus* pro *convictis inanibus*. *Cap.* 9. nobis *fol.* 48. p. 2. non habetur interjectio illa *Arium* redolens: *Sicut mater ſine exemplo genuit autorem ſuum* &c. neque poſt verba mox ſequentia: *hoc opus mundi*, altera illa: *Fecit in principio bonum et malum* &c. Similiter ignorat *Codex* longum illum excurſum, cujus initium: *Cur autem juſtus Deus talem voluerit eſſe* &c. quique inter verba *ad Deum deferat* et *Exorſus igitur Deus* in quibusdam *Codd.* inculcatus eſt. L. IV. initio rurſus *Conſtantini* adpellationem deſideres, et ſub finem *Cap. ult.* invenias *Arrianos* reliquis Sectariis adnumeratos. L. V. initium ἀποστροφὴν ad *Conſtantinum* habet. Eod. *Cap.* 1. nobis *fol.* 129. p. 2. deeſt in *Cod.* illud: *Mella ſunt haec venenum tegentia.* Et paullo poſt illud: *Nec enim plus impuris ſpiritibus quam ſancto licet.* *Cap.* 11. nobis *fol.* 140. legitur: *Domitius de officio proconſulis libro ſeptimo.* L. VI. initio Noſter: *cuius aſſerende atque illuſtrande cauſa michi et ſcientiam et fidem ipſe dominus noſter impoſuit*, quam lectionem neque *Bunemannus*, neque Editores noſtri in ſuis *Codd.* reperiſſe videntur. L. VII. *cap.* 5. nobis *fol.* 190. poſt verba: *et cum deo ſemper*, omittitur tota illa oratio, quae infit: *Neque nunc aliquis eo confugiat* &c. et ſtatim orditur *Cap.* 6. *Nunc totam rationem* &c. Similiter *cap.* 26. nobis *fol.* 201. p. 2. Perorationem illam ad *Conſtantinum* Imp. quae incipit: *Sed omnia jam, ſanctiſſime Imperator* &c. totam *Codex* ignorat. Atque haec ſufficiant Lectori ad judicium de eo ferendum, quem *Sambucus* paene intactum reliquit, niſi fortaſſe ab ejus manu ſint Loca *graeca* ſubpleta, et pauculae Animadverſiones margini injectae, quae tamen non lectionem Textus, ſed res a *Lactantio* dictas reſpiciunt. Τετρασιχον ſubjectum Librarii eſt.

Lacteus eloquio lactantius equore longo
Explicit inſtituens uera prophana uetans.
Hoc pelagus pennis ſuperaui: iam tibi uirgo
Stella maria maris munera laudis ago.

CCX. VIII C. 2

185 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. nunc 166. f. probe exaratus, notaeque melioris complectitur I. *Johannis* Archiep. *Conſtantinop.* dicti *Chryſoſtomi*, Scriptoris Sec. IV. Enarrationem in *Epiſtolam Pauli ad Hebraeos* hoc titulo litera quadrata: *In hoc Corpore continetur Commentarius Sancti Johannis Epiſcopi Conſtantinopolitani. In Epiſtolam ad Hebreos ex Notis* (ἀπο σημειων) *editum. Poſt eius Obitum a Conſtantino Presbitero Anthiocheno. Et translatum de Greco in Latinum. A Muciano Scolaſtico. Incipit Sermo*